

stellarum. Nam Ptolemaeus, Albategnius, Copernicus & alij ex inventa  
 parallaxi, beneficio doctrinae triquetrorum, ratiocinantur primum,  
 quot Semidiametros terræ comprehendat intervallum Luna. Deinde  
 ex hoc ipso intervallo perquirunt rationem dimetientium terræ, luna &  
 umbra: unde simul innotescit terram lunam esse majorem, & figuram  
 umbrae terræ similem metæ ac turbini inverso. Præterea ex his, Solis  
 & intervallum & quantitatem deprehenderunt. Non potuissent igitur  
 de quantitatis trium corporum Solis, Luna, Terræ, & de umbra Ter-  
 ræ figurâ aliquid certum definire, nisi hac de Triangulis doctrina admo-  
 dum fuissent instructi. Sed & in Gnomonicis hujus doctrinae usus est,  
 quando ex certa Gnomonis ad umbram aut rectam aut versam ratione  
 verticis mundi sublimitas investigatur. Et similiter in Geographicis.  
 Per hanc enim Eratosthenes, Posidonius & Ptolemaeus Cosmographi, cer-  
 tis hypotbesibus assumptis invenerunt maximi circuli terræ ambitum con-  
 tinere 5400. miliaria Germanica. Hinc & modus regiones terræ habi-  
 tata discernendi, & urbium atq; locorum intervalla mensurandi in-  
 ventus est. In Opticis etiam & Catoptricis per hanc doctrinam angulos  
 & reflexionis & refractionis, atq; id genus alia scrutati sunt. Hacten-  
 us operis Palatini Autor: quæ verba suo etiam Triangulo-  
 rum Sphericorum Canoni Adrianus Romanus Mathematicus  
 Herbiopolitanus laudatissimus præfixa voluit. Is verò Romanus  
 alter etiam est, cujus Encomium Trigonometriæ nostræ præli-  
 minare esse volumus. Ita enim ille in dicto libro post dedica-  
 torias ad Electorem Coloniensem Ernestum. *Usus Triangulo-  
 rum immensus est, cum eorum beneficio comparentur inter se rerum lon-  
 gitudines, latitudines, profunditates, planities, soliditates, motus, tem-  
 pora; moventium ac machinarum quarumcumq; dignoscuntur vires, di-  
 rigunturq; in scopos oppositos; moles etiam vastissima loco suo cedere co-  
 guntur, atq; vel supra altissimos atolluntur montes; aquæ tibrantur &  
 abducuntur; scale vallis apponuntur hostilibus, cuniculi fodiuntur, in-  
 strumenta muris hostium disiciendis construuntur idonea, lapidibus,  
 ferramentis, alijsq; consimilibus obruantur hostes; flumina aptis ad eam*